



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEAD PLENIUS**IN REPUBLICA ANGOLAE NUNTIATURA  
APOSTOLICA CONDITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Ad plenius confirmandas ac fovendas necessitudinis rationes,  
quae inter hanc Apostolicam Sedem et Rempublicam Angolae hoc ipso die feliciter sunt initae, simulque ad aptius  
providendum evangelizationis operi atque spirituali regimini catholicorum fidelium illic commorantium, Nobis  
peropportunum videtur in memorata Natione Apostolicam Nuntiaturam condere. De communi igitur utriusque partis voto,  
audita quoque Congregatione pro Gentium Evangelizatione, summa Nostra potestate harumque Litterarum virtute in  
Republica Angolae Nuntiaturam Apostolicam constituimus, factis omnibus iuribus, privilegiis, honoribus, praerogativis et  
indultis, quae huiusmodi Legationum, praesertim in territoriis sub iurisdictione memoratae Congregationis positis, propria  
sunt. Has denique Litteras, in forma Brevis maioris expeditas, nunc et in posterum ratas esse volumus, contrariis  
quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VIII mensis Iulii, anno  
MCMXCVII, Pontificatus Nostri undevicesimo.*ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status* © Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana